

Vir Venerande, Celeberrime,

Salutem.

Annus est præter propter, quod Luthania literas ad C^{te} J^a dederim, simulq; miserim quaecumq; meum specimen typicum. An recaperis, equidem nescio: Vivere tamen mei memorem, pro pri-
stino affectu, ex literis ad D. Fabricium subinde datis & audire & videre aliquoties licuit.
Ego certe cum Te Præceptore utar quotidie in scriptis, cædō dignis, quibus Ecclesiam Dei
illustrasti & illustras etiamnum, gratissimam tui memoriam servare nunquam non possum;
Deum laudare, quod Ecclesia sua Te dederit, servavit hactenus, Doctorem: cumq; precari,
ut vegetam sanctam concedere dignetur porro, quō magis magisq; nomen ejus per indefessos
labores tuos magnum fiat. Non potui non istius in Te observantia mea testes, has literulas,
dare, unā cum exemplari qualiscumq; dissertationis meæ de decem Tribubus Israëlitis; cum
operam suam in deferendo offerret Præstantissim; Heideggerus, Tigurini Theologi Frater,
meus hactenus discipulus. Teneit is Ultrajectum, comitatus Juvenem Nobilem dioecesios
Monasteriensis, qui Canonicatum illic emit, hoc consilio Parentum, ob Religionis Reformatæ
professionem piam & constantem multa passorum, ut sedem haberet Filius, in quā liberius
Religionis exercitio uti frui posset, etiam, si qua premeret aliquando necessitas Fratres So-
rorave, haberent tutiorem quem locum, quō refugerent. Deus ubiq; tueatur suos, in
quos undiq; Satana excitare iterum, armare, hostes videtur. Nostra sunt sic satis tran-
quilla, Dei beneficio: Modò, rebus in Polonia ex voto Neoburgici constitutis, non turbemur
iterum: Est tamen, quod nobis gratulemur de zelo Religioso Serenissimi nostri, quem in-
crementa indies capere, certos nos reddunt certa, ni fallimur, nuntia. Schola nostra pri-
stino in vigore est ferè. Est tamen unum, quod vigorem illum minuit nonnihil; de quo
consilium & auxilium tuum implorem lubens, Vir Celeberrime; modò id mihi, sanctè asseve-
ranti, credere digneris, non me accusatorem agere velle ullā ratione; ac proin à C^{te} J^a id
quoq; prætolari liceat, ut, tacto meo nomine, de negotio agatur, id quod agendum esse judi-
caveris consultum. Res hæc est: Lui Philosophiæ Professionem apud nos sustinuerunt
hactenus, id egerunt, ut propaudentica ad captum discipulorum inculcarent, eā methodo,
quam Leges nostra requirunt. Exigunt hæc, ut ex vulgaribus, Wendelini, Burgersdicii, &
id genus scriptorum, libellis Philosophicis, ac ad illorum ductum erudiatur, exercetur Ju-
ventus. Sublimioris Philosophiæ capacia ingenia hic occurrunt raro: et nunquam, dicere
ausim, existunt hic aliqui, qui ex professo adeo philosophari velint. Etiam, ne quid dissimule,
Cartesii Philosophia suspecta nobis est de seminibus heterodoxia, hinc inde in illius & sequa-
cium scriptis dispersis, quæq; vel nunc hæc probam messem polliceri videntur. Et si vel aliud
nos sentiremus, qui tamen filios suos disciplina nostra subiciunt, hic & in vicinâ, non nisi receptâ
methodo illos institui desiderant. Noster verò, quam nunc esse nosti, Philosophus aliud agit, Car-
tesium & Cartesiana omnia introducere in Scholam nostram omni ope nititur, nec à sententiâ
vel rationibus vel jussis eorum, qui jubendi auctoritatem habent, at modestè usurpare velint, se
dimoveri patitur. Wendelini Logicam tandem proponere incepit, sed, ut audio, tractat suo more.
In reliquis se circumscribi limitibus, his tantum, ut absteineat ab iis sententiis docendis, quas in
Cartesio improbare novit Theologos, ita agere fert, ut hisce diebus publicâ oratione persecutione
diceret, & id genus vocibus asperis insectaretur. Unde fit, ut dilabantur aliqui, alii emanent,
qui studiis aliis hic operam dare decreverant; et male audiat apud ceteros Schola nostra, aliis
nos accusantibus negligentia, quod irrepere hæc talia feramus; aliis, ut variant iudicia, severita-
tis, quod philosophandi scilicet libertatem in controversiam vocemus. Hic si, datâ occasione, probum

consilium suppeditare digneris Collegae nostro, quod illi pariter & nobis salutare sit, ut de negotio
alicunde ad aures tuas delato, plane existimem, non sine fructu id fore: cum merito tua potestas
quam alia ulla, apud ipsum valeat quam plurimum autoritas. Ita tamen, iterum obnixè rogo,
prudentiâ tuâ insigni rem moderari dignare, ut nihil hinc detrimenti patiatur amicitia, quæ
Collegam & me est, cui rumpendæ ego quidem occasionem ullam præbere nolim; deo, ut etiam
nisi reluctantæ animo, quod novit, qui omnia novit, illi oblocutus sim aliquando, ita exigente
meo. ignosce, Vir Reverendissime, si quid hæc deestis ad te scribendo, pecco; & id persuasissimè
habe, non id à me facilitari, nisi quod iudicem in animo meo, omnia à me fieri debere, quæ
Scholæ, cui præsum, salutem conducere possint, posse verò per Te omnium rectissime agi ista
deniq; optimè Te velle & Scholæ & mihi. Vale, Excellentissime Virorum, et amare perge
cum, qui est

Hammona, 26 Junii,
A.º 1669.

Venerandi Tui Nominis

Cultor sincerus

Horianus Pauli.